



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quòd Christus sua morte meruit solus omnibus sanctis & hominibus
haec duo, remissionem peccatorum & coelum, quod nullus sanctorum suo
martyrio sibi mereri potuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

dati sunt, secti sunt, &c. Ideò multa millia testium, id Heb. ii.
 est, sanctorum martyrum, habet nostra fides. Nec ad-
 uersus eam præualebunt portæ inferorum, Matthæi
 16. Sed martyrium sanctorum licet sit testimonium
 fidei, nullatenus tamen sancti alicuius mors & sup-
 plicium facta est pro redemptione totius mundi, si-
 cuti vnica Christi mors. In solum Christum posuit
 Pater omnia nostra peccata, qui solus est victima pro
 salute totius mundi, sicut Christus ipse dicit Mat. 26.
 Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, & san-
 guis qui pro vobis effunditur, &c,

Christus solus omnibus hominibus, & sanctis 2.
 meruit hæc duo, reconciliationem, id est, remissio-
 nem & vitam: & nullum martyrium sancti alicuius,
 quantumcunque acerbum, hæc duo sibi mereri po-
 tuit. Nam sancti, puri homines sunt: Christus, Deus
 & homo: martyrium sanctorum, opus finitum: Chri-
 sti mors, virtus infinita: ergò nemo putare debet, quod
 Sancti semetipsos suo martyrio saluauerint. Sed oportet
 omnes confugere ad Christi sanguinem & mor-
 tem, de cuius plenitudine oportet accipere omnes,
 Ioan. i. Etiam beata virgo virtute passionis Christi
 saluata est, non propria sanctitate: nam virtus passio-
 nis accipi vult fide in Christum, ideò inquit i. Ioan. i.
 Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato:
 ad Coloss. i. Omnia pacificans per sanguinem crucis
 eius. Et i. Petr. i. Empti estis precioso sanguine Chri-
 sti Ioan. i. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi,
 &c. Nullus ergò martyr potuit sibi ipsi impetra-
 re remissionem & vitam æternam, quanuis partici-
 pationem. Sed hoc solum est in Christum translatum.
 In sanguine Christi saluati sunt ab initio mundi om-
 nes sancti, prophetæ, martyres, virgines, confessores,
 viduæ, & hodiè quotquot viuentium saluantur: quia
 vnica victima est Christus. Nulla ergò pœna vel mar-
 tyrii cuiuscunq; sancti, æqualis est virtutis cum morte
 Christi:

Christi: per illum complacuit Patri, reconciliari & pacificari omnia, id est, per sanguinem & crucem eius, siue quæ in cœlis sunt, siue quæ in terris, Colof. 1. Ergo omnis qui credit in illum, saluabitur Ioannis tertio.

3:

1. Cor. 2.

Capitale bonum, scilicet remissionem peccatorum & cælum, meruit omnibus solus Christus, vt dictum est: & hoc fide accipitur ante omne opus vel quodcunque martyrium, scilicet in Baptismo. Nam hæc fides comunicat nobis Christi bona: At inquis: Nunquid sunt frustra tot crudelia supplicia passi martyres? nihil illis meruerunt? absit. Meruerunt enim ingentia præmia, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. Esa. 64. Nam Apostolus ait 1. Corint. 3. Vnusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem, id est, secundum gradus sui laboris & supplicij. Sed hoc præmium dicitur accidentale, seu additamentum ultra essentialia & capitale bonum, quod iam fide acceperunt sancti ante martyrium. Illi enim qui multa & diuersa passi sunt pro fide Christi, magna habebunt præmia Mat. 5. Merces vestra copiosa est in cælo. Promittit quoque illis Christus regnum cœlorum, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, id est, ipse promittit gratuita sua voluntate: non quod ipsum martyrium hoc mereatur, sed ipse Deus propter Christum vult ita compensare ingentibus premijs in cælo martyrium & confessionem fidei, & cum ipso cælo, quod solus ipse meruit. Non ergo frustra passi sunt sancti martyres, nec erunt illis sua supplicia sine premio. Sicut enim differt stella à stella in claritate & magnitudine, vt Apostolus ait 1. Cor. 15. Sic erit in resurrectione mortuorum. Multæ enim in cælo sunt mansiones, Ioan. 14. & unicuique reddetur secundum gradus laborum suorum, Matt. 16. Sic duplici premio coronat Deus fidelium opera, & maximè persecutiones & supplicia, quoad accidentale præmium: ergo in cælo erunt gloriosi S. Apostoli